



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

15. Alio Argumentum nostra conclusio probatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

Actum, antequam deferatur, deferit enim qui in tentatione, & pugna hominem relinquit, auxilium necessarium non suppeditans, nam cum physica prædeterminatio sit necessaria ad non peccandum, & ea sola dependeat ex voluntate Dei, si Deus non tribuit illam signum evidens est hominem deferere Deum, ut peccet, qui antequam peccaret iustus erat.

SVBSECTIO XV.

Alio argumento nostra conclusio probatur.

444 **S**upponimus Deum non esse proprie causam nostri peccati, quod late demonstravimus anno superiori materia de peccatis ex mille Scripturæ locis, & Patrum testimoniis, ultimo denique ex definitione Tridentini, *sess. 6. can. 6. ibi*: [Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ut bona Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie, & per se, adeo ut sit proprium opus eius, non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli anathema sit.] Quibus accesserunt rationes theologice, & naturales, quibus hoc manifeste probatur.

445 **H**oc supposito impugno prævium concursum Dei prædeterminantem efficacissime, etiam ex hoc capite, quia si nostra voluntas non potest aliquid operari nisi prædeterminata à Deo: ergo quoties peccat, non peccat, nisi prædeterminata à Deo ad illum actum eliciendum, concedunt consequentiam aduersarij, licet aliqui eorum Sectatores in hoc puncto ab illis discedant, malunt enim minus consequenter loqui, concedentes prædeterminationes ad actus bonos, & negantes ad actus malos, quam concedere in utrisque; & merito, vident enim egrè posse hoc explicari, quin sequatur Deum prædeterminantem ad actum odij esse causam peccati, & peccatum esse proprium Dei opus, neque esse in potestate hominis vias suas malas facere, ac proinde non sit minus proprium opus Dei proditio Iudæ, quam vocatio Pauli, quæ omnia non solum sunt contra Tridentinum, sed contra manifestissimum lumen nostræ rationis. Quare quidem Blasius Verden. & ipse Dominicus in relectione de efficacia Divini auxilij parte 1. fol. 54. *conclus. 13.* habet hæc verba: [Ad opera moraliter mala Deus non prædeterminat nostram voluntatem, & oppositum, asserere impium est, & blasphemum.] Et postea fol. 55. *conclus. ultima*, explicat se etiam loqui de peccato pro materiali, his verbis: [Nec prædeterminat nos Deus ad actum peccati, etiam si consideres substantiam actus pure materialiter, nam est mouere saltem indirecte, & per accidens ad peccandum, quod Deo repugnat.] Hæc ille, sed tamen fere alij omnes communiter concedunt hominem non posse elicere actum odij liberi, nisi ex prædeterminatione Dei, contra quos procedit hoc argumentum.

446 **C**ommanis solutio huic difficultati hæc est, in peccato distingui debere materiale, & formale, ad materiale pertinet entitas physica ipsius actus; formale vero est malitia, seu deviatio à regula rationis & à lege, quæ est in actu malo; Deus itaque prædeterminat ad materiale, causat materiale, vult materiale, non prædeterminat ad formale, non causat, non vult: Aduerte tamen nomine materialis, non intelligi ab his auctoribus actum nostrum secundum aliquam rationem communem volitionis ut sic, sed decretum natam, & indiuiduam ad esse

huius volitionis, alioquin non prædeterminatur voluntas ad talem actum, & per consequens ipsa sola voluntas se determinaret ad talem actum, in quantum talem, quod esset contra principia eorum auctorum, qui acriter negant posse prodire à principio indifferenti aliquid determinatum, sed debere ipsum principium æque determinatum ad effectus præsupponi.

Dicent itaque Deum prædeterminare ad actum odij, & Deum determinate velle quod fiat actus odij, non tamen velle quod sit malus ille actus; imo sub nomine materialis non solum intelligitur actus ille, propterea hic actus odij, sed etiam propterea est actus liber, & prædeterminat Deus ad actum liberum odij, dicunt enim Deum esse causam, quod homo eliciat hunc actum cum omnibus suis circumstantiis, ita Albelda *diff. 24. n. 21.* His verbis: [Ad quantum negamus ex nostra sententia legi quod Deus sit author peccati, nam licet sit prima radix, & causa, quod homo hic, & nunc cum tali aduerteria rationis, habeat volitionem circa hoc obiectum contrarium rationi, in quantum volitio est actio, non tamen est causa, quod homo deicienter velit illud obiectum; sed eiusmodi deficientia in creatam dumtaxat voluntatem referenda est, concedunt ergo Deum prædeterminare ad hunc actum, ut liber est, hoc enim est fieri cum aduerteria rationis, & merito, quia Deus vult, & causat quod nunc homo aduerterat ad præceptum, & ad malitiam obiecti, & Deus vult hic, & nunc, quod homo velit hoc obiectum: ergo Deus vult, quod homo velit nunc hoc obiectum, quia velle nunc libere non est aliud, quam velle obiectum, & aduertere ad præceptum, vel ad malitiam, seu velle cum aduerteria: ergo si Deus vult aduerterentiam, & volitionem, vult etiam Deus quod homo velit libere, sed tamen dicunt non vult Deus quod volitio obiecti sit mala, & peccaminosa, ideo non prædeterminat, non causat peccatum formaliter loquendo.

Hæc solutio ex ipsis terminis, quibus proponitur, 448 impugnari potest, Repugnat enim Deum velle quod actus odij fiat hic, & nunc libere à Petro, & prædeterminare ad hoc, & tamen nolle quod ille actus sit malus, vel quod Petrus peccet in eo actu; Deus enim malitiam esse aliquid consequentum ad entitatem positivam illius actus ut liber est, quod tamen falsum existimant aduersarij, quid enim est, inquit, illum actum esse malum, nisi esse actum liberum elicitum repugnante ratione, adhuc tamen, prædeterminat ad illum actum liberum odij, & qui vult illum, vult etiam fieri peccatum, & causat illud.

Nec enim homo alio modo causat malitiam for- 449 malem odij, nisi ponendo entitatem positivam, & actum liberum determinate quoad materiale, imo ipse homo non vult formalem malitiam, sed potius vult poni fornicationem, & furtum sine malitia formali, sed tamen quia posito materiali sequitur necessario malitia; inde est quod homini volenti materiale imputetur etiam malitia odij, vel furti, & homo dicatur auctor malitiae, neque malitia potest non materialiter, sed formaliter causari, nisi ponendo materiale, ad quod necessario malitia consequitur; cum ergo Deus causet, & velit totum materiale, & totum actum liberum furti determinate volendo, & prædeterminando voluntatem ad hanc entitatem actus furti hic, & nunc, merito dicetur author malitiae, quæ ad illum actum illud commune axioma, qui est causa causæ, est causa causati, quando scilicet causa volita talis est, ut ad eam necessario consequatur effectus, tunc enim qui

vult causam, vult etiam effectum ad eam necessario consequutum, nec potest esse causa vnius quin sit etiam causa alterius.

450 Confirmatur, quia vnus homo dicitur causa peccati alterius hominis, eo quod impellat illum ad materiale, scilicet ad actum furti libere faciendum, non enim suadet illi formalitatem malitiæ, quod potius acceptionem rei alienæ; imo velle, si fieri posset, vt fieret sine malitia: sed quia malitia consequitur necessario ad eum actum, ad quem mouet, ideo dicitur proprie mouere, & impellere ad peccatum: ergo similiter Deus prædeterminat si physice, & præmouet ad eum actum liberum, dicitur mouere ad malitiam, quæ necessario consequitur.

451 Secundo impugnatur solutio, quia Deus non solum prohibet formale peccati, sed eius materiale; imo non potest prohibere formale, nisi prohibendo materiale, prohibet ne Deus libere elicitum actum perijurij, & furti? equidem prohibet dum ait, ne furaberis, quia si liceret mihi libere materiale, non imputaretur malitia, quæ necessario consequitur ad illud materiale; quomodo ergo stabit deum ex vno capite prohibere mihi hoc materiale dissuadere deterrere, & ex alio capite prædeterminare me & impellere ad illud, velle illud, desiderare, procurare? sicut si tu suaderes Petro, & moueres illum ad occidendum Paulum, vel ad actum luxuriæ, & simul ab eo exire peteres ne peccaret in illa occasione, vel in illa copula ridicula sane esse hæc suasio, & petitio.

452 Videtur item posse peccatorem iuste conqueri aduersus Deum ipsum punientem, & dicere tu Domine, ex proprio motu me alioquin non peccatum impulisti, & antecederet prædeterminationasti ad occidendum inimicum, quem ego non potui occidere sine peccato, quid ergo debui tunc facere? non enim potui non recipere prædeterminationem, nec illa posita potui non occidere inimicum, nec occidendo potui impedire malitiam culpæ, & formalitatem illius, quid ergo facerem, vt non essem reprehensibilis? Huc sane spectat regula illa Augustini supra posita quæcunque illa causa est voluntatis, cui resisti non potest sine peccato ei ceditur, si ergo homo non potest prædeterminationi resistere, non peccat cedendo prædeterminationi ad peccatum.

453 Tercio impugnatur, quia hæc connexio inter actum liberum odij Dei, verbi gratia, & inter malitiam formalem tanta est tamque essentialis, & necessaria, vt ratione illius non possit homo sibi, vel alteri desiderare licite actum liberum odij; ergo nec Deus poterit illum desiderare, magis enim debet distare, vt ita dicam voluntas Dei ab hoc affectu, quam voluntas humana. Antecedens vero constat, quia si liceret desiderare, liceret velle efficaciter & procurare, sicut Deus per te procurat illum actum liberum odij esse in homine, & ponit medium efficax ad illum finem, quia potest desiderare, & velle illum, non voluit, & amata malitia formalis.

454 Quarto impugnatur, quia ex doctrina huius solutionis videtur sequi tota causalitas Dei in peccatum, quam re ipsa concedunt hæretici nostri temporis, aduersus quos editus fuit ille canon Tridentini supra posuit. Hæretici enim non intendunt Deum esse auctorem malitiæ formalis proprie, & rigoroso modo, sed potius entitatis materialis determinatæ voluntate ad illam, ad quam necessario consequitur malitia formalis, quod si aliquando eorum verba aliud sonant, ipsinet ex-

plicant suam mentem in hoc sensu, & negant milles Deum esse auctorem peccati, ita Caluinus de aeterna Dei prædeterminatione, in fine libri, vbi sic ait: [Turpi quidem, & illiberali calumnia nos gravant, qui Deum peccati auctorem fieri obtendunt, si omnium quæ aguntur causa est eius voluntas.] Et in Anthidoto impio Concilij super illum Canonem esse contrarium suæ doctrinæ; si Patres voluerint Deum non solum malitiam, sed etiam ipsa opera non operari, nisi permissiue quod si voluerit respectu malitiæ se habere Deum solum permissiue libenter consentit, & postea adducit Augustinum dicentem, Deum tradidisse filium suum, Iudam fecisse peccatum, ac denique concludit hæc omnia vera esse siquidem addatur exceptio, malitiam non esse ipsius opus; sic etiā explicuit Caluini mentem Theodorus Beza eius discipulus in responsione ad Castalionem, vbi purgat Caluinum ab hac calumnia & in aphorismo 8. sic ait. [Non consequitur ex istis vlla istarum blasphemiarum, nempe vel Deum esse auctorem peccati, siue delectari in iniquitate, aut etiam velle iniquitatem, vel satanam, aut homines male agendo obedire Deo, aut quatenus male agunt facere quod Deus vult, ac proinde esse extra culpam, absint vero quam longissime omnes eiusmodi blasphemiarum non solum à linguis, sed etiam à cogitationibus nostris.] Nam potuit clarius distinguere causalitatem respectu materialis, & formalis; cum ergo Concilium id quod hæretici dicebant condemnauerit, consequens videtur damnare voluisse non solum prædeterminationem ad formale quam hæretici non ponebant, sed etiam ad materiale, cum quo malitia esset necessario connexa; omitto alia loca hæreticorum, quæ videntur posita apud Bellatminum rom. 4. contro. 2. lib. 2. & apud Valentiam, 1. part. disp. 2. quæst. 19. puncto 3. & 1. 2. disput. 6. quæst. 9. puncto. 1.

455 Dices Deum non esse auctorem peccati licet prædeterminet ad materiale, quia non suadet actum furti, v. g. nec consulit, sicut suadet & consulit opus bonum: sed contra, quia in hoc etiam non videntur dissentire hæretici, vt constat ex eorum verbis apud Valentiam vbi supra; deinde licet Deus non suadeat furtum, sed tamen prædeterminat per te ad illum actum, Deus autem non tã dicitur causa boni operis ratione suasionis, & consilij, quam ratione prædeterminationis per te, ideo enim cogere nos vis ad prædeterminationem concedendam, vt Deus sit causa nostri boni operis non solum moralis, sed physica, & propria: ergo loquendo de causalitate propria, non minus erit Deus causa operis mali, quam boni, licet desit suasio.

456 Dices iterum hæreticos ita ponere prædeterminationem ad actum odij vt non relinquunt libertatem arbitrij, quam tamen libertatem hi auctores catholici fatentur, & in hoc differre ab hæreticis fateor, sed in primis iam supra vidimus hæc differentiam solum videri de vocibus, non de re ipsa, vtrique enim ponunt talem prædeterminationem ad actum odij; cui voluntas non possit resistere, sed cum quæ maneat potentia ad amandum in sensu diuino. Deinde hæc differentia non facit ad hoc propositum, quia quod maneat libertas non tollit Deum ratione prædeterminationis, esse veram & propriam causam, vt constat in opere bono, in quo manet etiam libertas, & tamen Deus est vera, & propria causa illius, eo quod prædeterminat ad ipsum in sententia horum auctorum: ergo hæc differentia non tollit Deum esse veram causam operis prauis.